

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Laus ao
cum fonte primo

In homine id quoque laudandum est quod ipsius est. Familiam formosam habet et domum pulchram; multum serit, multum fenerat; nichil horum in ipso est sed circa ipsum. Lauda in illo quod nec eripi potest, nec dari quod proprium hominis est. Queris quid sit? Animus et ratio in animo perfecta.

Quid autem est quod ratio hec ab illo exigat? Rem facillimam secundum naturam suam uiuere.

Seneca XLI. epistola.

Propria virtus est in vite fertilitas; in homine quoque id laudandum est quod ipsius est. Familiam formosam habet et domum pulchram, multum serit, multum fenerat: nihil horum in ipso est sed circa ipsum. Lauda in illo quod nec eripi potest nec dari, quod proprium hominis est. Queris quid sit? animus et ratio in animo perfecta.

Rationale enim animal est homo; consummatur itaque bonum eius, si id inplevit cui nascitur.

Quid est autem quod ab illo ratio haec exigat? rem facillimam, secundum naturam suam vivere.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 41, 7-8 (L. Reynolds ed., vol. 1, p.110, ll.2-11).